



de Paucitate Junis Doctorum Lipsiensium. 34

IV.

*Quaestio Sapientia
Divina*

Pro-Cancellarius

QVIRINUS Schacher / Lips. Phil. &
H. J. D. Collegii Juridici Senior,
L. S. P.

*

20

1653.

429.
1-20.

34



Pro-Cancellarius
GAIRIUS Schaefer / Dipl. Phil.
H. D. Collegii Juridici Senior
v. L. S. P.





Vintus jam cur-
rit annus, posteaquam
Nobilissima juxta ac fa-
migeratissima Facultas
juridica Lipsiensis visi-
tationem in suo Virida-
rio & horto juridico in-
stituens, tres proceras & robustas arbores ex
suo arboreto selegit, singulari q̄ve ornatu &
titulo Doctoris Juris tam Canonici, quam
Civilis insigniendo, pro illis haberi voluit,
ex quibus olim palatia Principum fulciri, ca-
thedræ Universitatum exornari, Curiaë tum
provinciales tum urbicę refici, imprimis ve-
rò Jctorum Ordines restaurari possent, un-
diq̄vaq; autem & in foro & in choro, pro sa-
lute Rerum publicarum tum columnæ tum
trabes everganæ in promptu & ad manus
semper adessent. Jam ab eo tempore quidem
in lyris & pulvinulis huc atq̄ve illuc cotidie

oberrans, nihil eorum, quæ boni sunt patris-
fam., & vel in serendo, plantando, fodiendo,
suffundendo, accumulando, amputando &
surculando ramos infrugiferos, consistunt,
intermisit, quin omnem curam & sollicitu-
dinem in id adhibuit sedulo, quò non solùm
succrescentem largam segetem propagare,
sed & in locum inter mortuarum arborum
alias ad similem eminentiam enitentes sub-
stituere, & in suum promtuarium transplan-
tare vel translocare posset; Verùm enim ve-
rò ut cunq; omnes operæ atq; industriæ ner-
vos intenderit, ad majorem tamen nume-
rum hac vice pervenire haut potuit. Scimus
equidem non paucos culpam omnem ascri-
bere ipsi Jctorum Ordini, maximè verò Pro-
fessorio, eosq; desidix & negligentix tum in
profitendo, tum in disputando incusare; Sed
famæ eorundem obtrectant, & falsissimè
hanc notam eisdem inurunt; Citiùs videbi-
mus Professore in cathedrâ arborem juris
qvatientem, & fructus ejusdem arboris dis-
tribuentem, quàm Auditorem in Subfelliis
sedentem

sedentem & porrectos fructus acceptantem
ac colligentem. Si Studiosi tam avidi discen-
di, quam Professores prompti in docendo, u-
tiq; citius robustiores & elegantiores arbo-
res in plantario Juridico invenirentur, tan-
tumq; abest, ut vel Ordini Jctorum vel Pro-
fessoribus aliquid culpæ assignari possit, ut
etiam sæpillimè propter defectum & rarita-
tem Auditorum abire cogantur. Nec nos la-
tet, per multos, sterilitati loci id attribuere,
existimareq; seriò, solum Lipsiense esse sur-
cularium, & proferre quidem longas & pro-
minentes arbores, sed graciles & ad susti-
nenda onera ædificiorum impares, ex qui-
bus nihil firmarum aut magnarum ædium,
sed saltem ædiculæ, casæ & tuguriola confici
possint. Verùm & illi non sine gravissimâ
contumeliâ injuriam inferunt telluri Lipsi-
cæ. Si enim loci qualitatem non invidis ad-
spicimus oculis, bonitatem & ubertatem e-
jus, ferendæq; juris divini humaniq; peritiæ
aptitudinem exindè facile cognoscimus,
quod tot in eâ videamus Judiciorum atqve



Tribunalium & Collegiorum campos amœ-
nissimos, quos si quis aridos aut non irrigu-
os existimare velit, eum fungum pro cere-
bro habere, aut ipsum cerebrum in calcaneo
gerere necesse est. Si non toti orbi hæc fo-
rent notoria, negotiiq; præsentis admitte-
ret conditio, facilius nobis esset, probati-
onem ejus implere recensione Auditorio-
rum, in quibus Jus divinum & humanum
vel docetur, vel administratur, quorum alia
ad Academiam pertinent, alia civitatis fo-
rum complectuntur, alia deniq; ab ipsis Pa-
triæ Patribus ad salutem omnium Provinci-
alium, sive Ecclesiastici sint Ordinis, sive sta-
tûs, ut loquuntur Canones, secularis consti-
tuta sunt, quæ, instar Nili sitientes Ægypti
campos impingvantis & fœcundantis, præ-
paratos theoriæ præceptis animos Studio so-
rum usu & experientiâ rerum obducunt, &
eruditionis sementi ad evirescendum, flo-
rendum, fructificandumq; vires submini-
strant. De hac Lipsiæ nostræ fertilitate præ-
clarum quoque testimonium præbet messis

juri-



juridica, quæ ducentis quadraginta quatuor
annis nata atq; renata non modo Milniam
& Provincias Saxonicas, sed totam Germa-
niam, extrariasq; Nationes sapidissimo justis,
boni & æqui cibo pavit. Ut enim minores
sella & inferioris podium administratores file-
am, quos non expeditius enumerare datur,
quàm noctuas Athenarum, magna illa no-
mina, quæ Jurisprudentiæ Lipsiensis Atlan-
tes, & Ordinarius dignitate clarissima fue-
runt, attendite, Studiosi, attendite ipsorum
Assessores, vel ac ipsis ab summos in utroque
jure honores e vectos Doctores, quos

*Compositum jus fasq; animi, sanctiq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto*
æterna consecravit famâ, næ facilimè vos-
met ipsos intelligere & fateri oportebit, Al-
mam nostram Philuræam, optimam Juris-
prudentiæ parentem semper existisse. Quæ
tamen, inqvies, vera causa, quod vix ac ne vix
quidem singulis lustris lustrationem institu-
ere soleat Facultas? Audi sodes, paulisper
Quemadmodum Hortulani boniq; patres-
fam.



iam, non quosvis arbuticos e plantatis suis in ar-
boreta transponūt, sed eos demum, qui radices fir-
miores & robur aliquod consecuti, ad fructus iam
ferendos idonei sunt; Ita Facultas juridica audito-
res suos ex subselliis discentium non subito rapit,
& in cathedrâ docentium sublimat, sed tunc de-
mum, cum eruditio ipsorum radices egit, peritiæ-
que ac notitiæ rerum juridicarum sufficientia de-
prehenduntur argumenta. Probè namq; conscia
est, non ex quovis ligno fieri Mercurium & men-
sam undatam. Et ut sæpius homines de suis facul-
tatibus nummariis plus sperant, quàm in his est; ita
& Candidati Juris quandoque plus confidunt suis
viribus, quàm præstare possunt. Multi se pro Juri-
um peritis in Curiis venditant, & gladium oblon-
gum ut coqvus cultrum, gerunt, qui Juris cogniti-
onem in Culinis fortè consecuti sunt; Non omnes
qui pulverem Olympicum collegerunt, Olympio-
nicæ sunt. Et quod omnium est primum, nec tem-
poris punctum ad succretionem arborum suffici-
ens est, sed anni requiruntur, sed cura, sed sudor.
Scimus alibi & apud exteros perniciousiter & curricu-
lo percurrentes, & veredo descendentes & ex cur-
sura adhuc anhelitum ducentes Doctores de plano
& simplici creari, sed sicuti canis festinans cœcos
parit catulos, ita illos suâ festinatione cœcos Do-
ctores. Bonæ siquidem mentes non nascuntur
citò

citouitungi, sed longa educatione lente & pedetentim fiunt. Præterea quemadmodum in hortis comparatum est, ut non omnes arbores sint suâ naturâ rectæ, sed quandoq; tortuosè, ut cunq; pedamentis alligatæ, excrescunt: quippe

Terra salutiferas herbas, eademq; nocentes

Gignit, & urtica proxima sæpe Rosa est.

Nonnullæ saltem pullulascunt; nonnullæ fruticescunt; nonnullæ quidem arborescunt, sed vel propter nimium solis fervorem arescunt, vel pedibus conculcantur, vel propter succi defectum pereunt; nonnullæ torrescunt, nonnullæ luxuriantur; nonnullæ ut sylvestres citius quàm hortenses crescunt; nonnullarum radices à primâ educatione ita vitiatæ & inquinatæ, ut nullâ ratione corrigi queant: Ita in Academiis quidam Studiosorum tum propter furorem Martis, tum inclementiam tempestatis, quæ omnem succum ipsis aufert, pereunt; quidam ad æstum voluptatis & libidinum ita exarescunt, ut nil nisi sceleton & externa forma remaneat; quidam à multitudine Pseudo - Studiosorum suffocantur; quidam à malè feriatorum circumcurstantium nequitiis proteruntur, & tantum non enecantur; quorundam ingenita malitia adeò tenax est, ut nullo modo emolliari aut flecti possit, manent tortuosi, quicquid malagmatis aut fulcimenti admonitionum salubrium adhibeatur. Ratio in eam

B

sum-



summam decurrit, quod nec Facultati Juridicæ,
nec Professoribus, nec loci intemperiei ulla culpa
imputari possit, sed in Studiosis meritò hæc cuda-
tur faba, qui si manum & culturam paterentur Do-
ctorum, seduloq; se componerent ad exempla an-
tea laudatorum Virorum, plures etiam ad hono-
rum coelos capita rectius extollere, & inter arbo-
res felices reponi ac censerì possent. Hoc non ver-
bis saltem monere, sed exemplis etiam eosdem ex-
citare decrevit laudatissima Facultas Juridica, dum
ad proximum diem Jovis, Deo clementer dante,
publicè in templo Academico Paulino, solenni ri-
tu præmissis præmittendis, titulo Doctoris utriusq;
juris mediante Promotore, Viro Magnifico, Am-
pliss. Consultissimoq;, Dn. Benedicto Carpzovio,
Jcto incomparabili, Antecessore, Consil. Elect.
Juridq; Facult. Lipsiensis ORDINARIO ut fami-
geratiss. ita de Jurisprudencia longè meritisimo,
insignire cupit Viros virtute ac legali scientia spe-
ctatissimos, numero tres,

THEODORUM MÖSTEL, Lipsiensem, Senatorem.

PETRUM MUCCIUM, Vratislaviensem, Silesium,

ambos utriusq; Juris Licentiatos, nec non

AMADEUM ECKOLTUM, Welsâ-Austriacum,

bon. art. & Philos. Magistrum,

quos dignos esse judicavit, qui in posterum aliis
tùm docendo, tum consulendo, tum patrocinan-
do

do operam præstent. Antequam autem ad hunc actum accedet, unâ quasi operâ M. ECKOLTUM renunciatum Baccalaureum tum Licentiatum juris; idque ideò, quia tempore promotionis antecedentis non hic Lipsiæ præsens esse potuit, sed Tubingæ commoratus studiorum suorum telam ad finem ibi perduxit. Erit itaque triplex actus uno ictu quasi videndus & expediendus; Cujus auctoritas cum à potestate Episcopi Martisburgensis & Cancellarii Academiae nostræ dependeat, quæ nunc pollet Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus JOHANNES GEORGIUS, Saxonix, Julix, Clivix & Montium Dux, Sacri Romani Imperii Archi-Marschallus & Septemvir, Langravius Thuringix, Marchio Misnix & utriusque Lusatiæ, Burggravius Magdeburgicus, Comes de Marcha & Ravensburg, Dynastain Ravenstein &c. Dominus noster clementissimus, Gloriosissima Ejus Serenitas partes Pro-Cancellariatûs mihi hæc vice ad subjectissimam Facultatis denominationem, ordine sic ferente, concedere clementissime voluit. Ut itaque Bono Cum Deo, Quæsitæque Sapientiam Divinam hic actus panegyricus & solennis suum exordium & exodium auspiciatissime sumat, Magnificum Dominum Rectorem, Illustres & Generosissimos Dn. Comites, nec non reliquos omnium tum Academicorum, tum Ecclesiasticorum

rum.

Universitatis & Dignitatum Antistites, Proceres
ac Senatores, ut & florentissimam Studiosorum,
nobilissimorum & politissimorum Coronam ho-
norificè & amanter invito, ut eundem præsentia
suâ splendidior reddere, honoriqve Facultatis
Juridicæ, & Dnn. Doctorandorum benivolè veli-
ficare haut graventur, quod lubenti animo factu-
ros esse omninò mihi polliceor & confido. Contra
Facultas juridica hanc tesseram debitæ subiectio-
nis erga Serenissimum Electorem, & gratiæ, favo-
ris & amoris haut fucati erga se indicinam in codi-
cem acceptorum beneficiorum est relatura, & sic
ubi metiendo aut retaliando occasionem nanci-
scetur, eam devoto & grato animo redditura ac re-
muneratura. Qui autem actum à capite ad calcem
sunt visuri & omnes dissertationes & ceremonias,
quæ tùm pro more consveto instituentur, cognitu-
ri, illi statim horâ VII. matutinâ in ædibus Paulinis
præstò esse possunt; Nec sine fœnore aut usuris ma-
joribus abibunt, sed talia audient & videbunt, quæ
illis veram virtutis cupidinem ingenerabunt, pari-
térq; stimulum & calcar ad insequendum vestigia
Dnn. Candidatorum addent. Pro qua magni ho-
noris & amoris declaratione indubio & ipsi Candi-
tati omnibus vicissim largâ manu sua studia & a-
moris officia offerunt & pollicentur. P. P. Lipsiæ
Dominica ludica, XXVII. Martii, M. DC. LIII.

LITERIS BAUCHIANIS.







QVIRIN
P

psiensium. 34
5408

IV

hil. &

1653

4,29
1-50

